

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe


Christus Verbis Ac Factis Potens

Pfaff, Johann Christoph

Tubingae, 1719

VD18 12419206

[urn:nbn:de:bsz:31-130321](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130321)



60 A 2691,1

EX
BIBLIOTHECA
ILLUSTRIS
CAROLI HESYCHEI.
65/83

33
= 11

CHRISTUS
VERBIS AC FACTIS
POTENS,

EX

MATTH. CAP. XXI. v. 18. -- 46.

ANTE OCULOS POSITUS

&

SUB PRÆSIDIO

DOMINI

JOHAN. CHRISTOPHORI
PFAFFII,

SS. Theol. Doct. & Profess. Publ. Ord. Eccle-
siæ Tubingenf. Decani, ac Illustris Stipendii Theolog.
Superattendentis Meritissimi.

*Mecenatis ac Patroni Studiorumque suorum Promotoris
humilime devenerandi.*

Publico Eruditorum examini subjectus

ad diem Maji A. M D CC XIX.

Respondente

M. JAC. CHSITOPH. FESEL, SCHORND.

SS. Theolog. Studiofo in Illustr. Stip. Theolog.

T U B I N G Æ,

TYPIS VIDUÆ GEORGII HENRICI REISII.

CHRISTUS
VERBIS ACTUS
POTENS

EX
MATTH. CAP. XXI. V. 18. -- 40.
ANTE OCULOS POSITUS

SUB PR. STUDIO
D. JOHANNIS
JOHANNIS CHRISTOPHORI
PFAFFII

SS. Theol. Doct. & Profess. Publ. Ord. Ecclie-
siae Tubingensis Decanus ac Illust. Sigeund. Theolog.
Superintendent. Meritissimus.
Cancellarius ac Patronus Studiorum per sacras Universitates
Publico Examinum examini subiectus

M. JAC. CHRISTOPH. PFAFFII, SCHORNID.
SS. Theolog. studiosi in Illust. Sigeund. Theolog.

TUBINGAE
TYPIS VINDIC. GEORGII HENRICI KEISERII.



MATTHÆI

CAP. XXI.

Verf. XVIII.

MANE die lunæ autem Matthæus hoc post templi repurgationem factum recenset per *ὄσπρωσις*, quod ante illam contigisse enarrat Marcus c. XI. 12. revertens in hostilem urbem, ne se subducere velle videretur, ipsum vel occisuris c. XX. v. 14. vel auditoris v. 22. vel visuris Luc. XXI. 34. confer Joh. XII. 21. **esuriit**, quod inæternus pernoctaverat in precibus. Hæc fames erat tum occasio miraculi, tum argumentum veræ in Christo & humanitatis conf. Matth. IV. v. 2. VIII. 24. Luc. XIX. 41. Joh. IV. 6. XIX. 23. & exinanitionis. conf. Phil. II. 7. Eb. II. 17. IV. 15. tum denique piaculum æternæ famis quæ nos ex-cruciatu fuisse. Joh. VI. 35. Apoc. VII. 16.

XIX.

Et videns è longinquo, Marc. XI. 13. **fici** satis alias succidam arborem, quæ frondosi quidem sed infrugiferi Israëlitis typus atque figura Jer. XXIV. 2. Mich. VII. v. 1. Luc. XIII. 6. **secus viam** frugiferis arboribus utrinsecus constam, venit ad eam (uti descendit exploratum & Sodomitas Gen. XVIII. 21. adeoque) non ex ignorantia, qualis quidem ab humanæ in Christo naturæ actu haud adeo abhorret. conf.

A 2

Marc.

Marc. XIII. vs. 32. sed æconomiã, uti & longius se ire simulabat. Luc. XXIV. 28. & nihil ne grossos quidem reliquiasve marcidias invenit in ea, tempus non fuisse caricarum Marc. XI. 13. & pueris fuerat notum, quanto magis Christo? conf. Luc. XXI. v. 29. Nihilo minus id quoque requirit Dominus, quod in nobis minime esse optime novit, nisi tantum præcoces vix fructus promittentia folia hypocriseos figuras. conf. Gen. III. 7. 2. Tim. III. 5. Jud. 12. & ait, non ex iracundia inediaeve impatientia, ἀναμάρτυτος quippe ac longanimis, conf. Luc. IX. v. 55. 56. sed ad præfigurandum postremum in Judæos Judicium illi ut alias mari præcepit Marc. IV. v. 39. ita & minatur h. l. ratione æque cassæ ficui Nunquam ex te alias bifera fructus nascatur in sempiternum. Terra infrugifera maledictioni est obnoxia Eb. VI. 8. illico adeoque dictum factum. En divinæ potentia specimen Gen. III. 17. ficulnea arbor præ aliis succida exaruit mox quoad folia, posttridie verò & quoad radicem Marc. XI. v. 20. qualia omnes arbores steriles manent facta. Math. III. 10. Luc. XIII. 7. v. & peculiare in h. l. Disputationes S. Schmidii Fasc. pag. 737. Heideggeri Tom. III, pag. 634. Wizii Melet. Leud. pag. 403.

XX.

Et videntes posttridie Marc. XI. 20. discipuli, qui Christo facultatem esse & perendi ex Math. VIII. 32. haud amplius memores, inde mirati sunt, Præstat mirari DEI opera quàm negligere Jes. V. v. 12. dicentes: quomodo πῶς nota est non tantum interrogantis simpliciter, sed sepe & admirantis Jes. I. 21. Luc. I. v. 34. Joh. VII. 15. Act. II. 8. illico exaruit ficus; Judicia DEI securos obruunt repente Pf. LXXIII. 19. Jer. LI. 37. 1. Thel. V. 3.

XXI.

Quoniam excidium arefactione ficus præfiguratum Judæos mansit ob ἀρρωστίαν Rom. XI. v. 20. explicatione hujus figuræ tantisper suspensa & alibi obvia V. v. 19. ad vivam properans Praxin fidem commendatum illam, quã talia Judicia præcaveri vs. 22. tum illam, qua paria patris miracula possunt vs. 21. respondens autem JESUS ceu Doctor ac

ac Interpres voluntatis Divinae omniumque Myfteriorum Joh. I. v. 18
 Apoc. III. 7. V. 5. ait eis, non tantum Apostolis conf. Matth. X. 1.
 sed reliquis etiam Thaumaturgis conf. 1. Cor. XII. v. 9. 10. Amen di-
 co vobis sermo de re ardua est, quæ discipulis videbatur ferme im-
 possibilis, hinc interponitur Juramentum si habueritis fidem, de fide
 πρώτος h. l. agitur miraculosa, hac enim montes transferuntur Matth. XVII.
 19. 20. δευτέρας de salvifica quoque, in quâ orarunt Apostoli v. 22. promif-
 sioni uti illa Divinae omnipotentia, ita hæc incumbit misericordia, ita ut utra-
 que hæsitantiam excludat. & non in corde Marc. XI. 23. hæsitaveritis.
 Per dubitationem ita magis tollitur quàm potest definiti 1. Tim. II. 8. Jac. 1.
 v. 6. non solum de ficu facietis ea, quæ modo feci ego Christus, sed
 & Hebræi Doctores suos insigniores assentatoriè vocabant *Montium*
translatores, hoc Christus tribuit fidei, dicens: si monti huic
 dixeritis juxta voluntatem DEI 1. Joh. V. 14. & ex fide Marc. XI. 23.
 tolle te & jacta te in mare, per montem ab Hieronymo Satan
 intelligitur, malum tamen capere proprie cum Chrysostomo. Montes
 enim sunt firmissimi Psalm. CXXV. 1. Jes. LIV. vs. 10. unde remotio
 ipsorum pro re habetur stupenda Job. XIV. 18. Psalm. XLVI. vs. 3. 4.
 Apoc. VI. 14. VIII. 8. 1. Cor. XIII. 2. & pro planè Divina Job. IX.
 5. Hoc quidem loco phrasîs est conditionalis ac proverbialis posita cer-
 ta specie pro genere, (miraculorum) fidei tamen Apostolorum non de-
 rogat, etsi nullibi extet ipsos conditionem implevisse montesque transpo-
 suisse. Multa enim in scripturis non leguntur, leguntur autem de Apo-
 stolis longe majora, ejectio scil. diabolorum ac resuscitatio mortuorum
 Joh. XIV. 12. E. contrario nonnulli Apostolis longe minores e. g. Gre-
 gorius Thaumaturgus ingens Saxum & Christiani in Tartaria montem
 dimovisse dicuntur, & fiet si DEI gloria Evangelique confirmatio id
 poscant. Nos quoque montes removemus, omnem scil. altitudinem tum
 superciliosorum Philosophorum, tum diabolicam Oraculorum 2. Cor. X.
 5. ne portæ prævaleant inferorum Matth. XVI. 18.

XXII.

Et non tantum quædam, nulla alias foret exauditionis certitudo.

A 3

sed

sed **omnia** quaecunque bona *vs. 21. VOS boni Joh. IX. 31. 1. Johi III. 21. 22. petieritis in oratione* *benè i. juxta DEI voluntatem 1. Joh. V. 14. homo sine Jacobi IV. 3. & perseveranter Luc. XVIII. 1. credentes Jac. I. 5. 6. 7. fides maxime miraculosa intelligitur. accipietis, tanta est precum efficacia exauditionisque certitudo. Jac. V. 16. e contra male precati nil accipiunt. Jac. IV. 3. ut filii Zebedæi nec honores Matth. XXIII. 22. nec Apostoli ignem è cælo obtinuerunt Luc. IX. 55. Multò minus preces nunc obtinebunt perfectionem nondum viatoribus sed demum comprehensoribus propriam, alias DEUS ad cujusvis preces religiosi discrimen tollere deberet, Ecclesiam militantem inter ac triumphantem.*

XXIII.

Et cum denuo, die quippe Martis in templum ubi docturum populus manè expectabat *Luc. XXI. 38. accesserunt eum maxime evangelium docentem* *conf. Jes. LXI. 2. Matth. IV. 23. XXVI. 55. Luc. IV. 18 43. XXI. 1. Joh. VIII. 2. principes sacerdotum & seniores populi & scribæ Marc. XI. 27. queis tribus ordinibus absolvebatur synedrium, penes quod tum Jus vocandi & inquirendi in Doctores erat; dicentes non discendi animo sed illaqueandi, sperabant enim, ipsum, si se mediatè vocatum dicturus foret, falsi crimen apertè commissurum esse, temeritatis vero ac Jactantiæ omnibus Pseudopropheta familiaris notam incursum, si se immediatè vocatum profiteretur. in qua potestate hæc facis? seniores hi omnia Christi miracula in Satanæ potestate fieri omninò supponebant Matth. IX. 34. XII. v. 23. hinc ipsi quæstio hic non de miraculis fuisse potest, sed potius de publica Doctrinæ Evangelicæ professione, & quis dedit tibi hanc potestatem. Heterodoxi cum orthodoxorum doctrinam refellere nesciunt, allatant vocationem, uti Johannis B. Pharisei Joh. I. 25. Apostolorum sacerdotes Act. IV. 1. & Lutheri totus Papatu *v. Geth. C. C. f. m. 60. Dorsch. in Ex. IV. p. 6. & B. Thum. d. reform. Luth. p. 3. nec non Walemburch. d. Missionem Protestantium f. 910. & seqq.**

XXIV.

Respondens autem JESUS ex superfluo, ad quæstionem adeo

adeo insidiosam nullum debuisse responsum videtur, cum vocationis suae divinitatem interrogantibus jam pridem reddiderit quam perspectissimam Matthæi XXII. 16. Joh. III. 20. quam quoque innotuisse pridem oportuerat ex cœlestis Patris oraculo, Matth. III. vers. 16. Joh. V. vers. 36. populi Judicio, Luc. VII. 16. Joh. VI. 14. VII. 40. 41. XI. 42. XVII. 8. & miraculorum testimonio, Joh. V. 36. præsertim novissimorum. Unde enim promittitudo, qua asinam & pullum Heri permittebant Apostolis? Unde mirus in excipiendo Rege paupere tot hominum consensus? Unde Hosianna puerorum? unde terror ac fuga tot vendentium ac ementium? Ex quibus omnibus vis sublimior reluxit; ubi verò vis se exerit cœlestis, frustra quæritur: Ex qua potestate ea fiant? nihilominus dixit eis per ἀντερώτησιν, ad quam si principes sacerdotum dextrè respondere voluissent, quæstionem quoque suam vs. 23. propositam una solvissent. interrogabo vos & Ego unum de ἀντερώτησει, vid. Danahæri Polem. p. 101. sermonem ἀντερώτημα Latini thurcum Jurgium & Horatius *litam lite resolvere* dixit. quem si dixeritis mihi uti vos oportet, nec de Baptismo Johannis aliter respondere potestis, quam esse illum è cœlo, quod autem & ego vobis dicam in qua potestate id faciam, quæ scilicet potestas docendique autoritas æque è cœlo & mihi obtigerit, teste vel ipso Johanne B. in Ev. Joh. c. Matth. III. vs. 11. 12. Joh. I. 15. 19. 26. 29. 33. 34. III. 29. Quando itaque Papatus quærit ubi Ecclesia fuerit ante Lutherum? Respondemus similiter ἀντερωτηματικώς: ubi Ecclesia fuit ante Christum? Et quicquid responderint Pontificii, ipsis quoque responsum esto.

XXV.

Baptismus id est, Synecdochice univèrsam Ministerium, in quo tamen baptismus eminebat claritate, vid. Dorsch Penta D. pag. 157. Johannis ceu præclari Ministri non Magistri Joh. I. 27. uti lex dicitur Mosis Luc. II. 22. Act. XV. 5. & Evangelium nuncupatur Pauli. Rom. II. 16. Pecperam itaque ex hac Phrasi: *Baptismus Johannis*, à Johanne institutus videtur Bellarmino inde colligenti, Baptismum Johannis non fuisse eundem cum Baptismo Christi d. Baptif. cap. XX. f. m. 279. Unde erat? è cœlo s. à DEO conf. Psalm. LXXIII. 9. Dan. IV. 23. qui Johannem

Johannem misit Luc. III. 2. Joh. I. v. 6. 23. 33. si hoc, Baptismus Jo-
hannis utique idem specie fuit cum baptismo Christi, an ex homini-
bus, eadem prope oppositio recurrit: Act. V. 38. ubi Gamaliel dixit:
Si ex hominibus consilium hoc aut opus, dissolvetur, sin ex DEO,
non poteritis dissolvere. at illi cogitabant inter se dicentes clam
si verum fassi dixerimus: è caelo; capti sumus, nam dicet no-
bis: quare ergo non credidistis ipsi de me testanti? Non est
consilium contra Dominum Job. V. 12. 13. Pf. XXI. 30. Luc. XXI. 15.
1. Cor. III. 19.

XXVI.

Si autem dixerimus: Ex hominibus, quod quidem fal-
sum timemus à Johanne baptizatam hicque praesentem turbam nos
inde lapidaturam Luc. XX. 6. Parati ita ad mendacium erant, timo-
re tantum (non DEI, sed) hominum cohibiti; omnes enim ha-
bent Johannem ut Prophetam, qualis etiam fuit Luc. I. v. 76.
imò plusquam Propheta Matth. XI. 9. Luc. VII. 26. Tale est Hypo-
critarum ingenium, ut homines plus timeant quàm ipsum DEUM Psalm.
XIV. 5. XXXVI. 2. LIII. 6. Syr. XXIII. 28.

XXVII.

Et respondentes JESU ne visi ab ipso viderentur adque si-
lentium redacti, dixerunt tanti Rabbi ac Duces caecorum scil. Nesci-
mus, maluerunt ignorantiae notam incurrere quàm correctionis vitae
periculum. Extraordinarie missos miraculis tamen non indigere proba-
mus alias exemplo Johannis B. quod ut subvertat Bellarminus, Johannem
illum nil docuisse contra communem Doctrinam, neque se à cæteris sacer-
dotibus separasse statuit ex eo, quod interrogati Matth. VI. de Baptismo Jo-
hannis non sint ausi illum improbare L. IV. de Not. Eccl. C. 14. f. m. 207. At
improbare illum hac vice non audebant, non ex Amore Baptista, sed metu ple-
bis vs. 26. quem pridem reprobarunt Luc. VII. 30. 33. Ait eis & ipse non
uti modo illi: *Nec ego scio; sed nec ego diserte dico vobis men-
dacibus simulatoribus liquidoque responso plane indignis in qua potesta-
te hæc facio.* Hoc tamen exemplo nondum probari potest: Doctorem
alicujus dogmatis non teneri ad respondendum, sed hoc sequitur, non teneri
orthodo-

orthodoxum, ut Thesin veram jam sufficienter probatam Theologicè
& superflue repetat, præsertim coram induratis ac irrisoribus Prov. XXVI.

4. Matth. VII. 6. Hülsem. de præscriptione p. 48. 49.

XXVIII.

Quid autem vobis causæ bonitate freti, ad ipsorum etiam ad-
versariorum Judicium sæpe provocamus Jes. V. 3. videtur. Ad quæ-
stionem vs. 25. propositam responsione categoricâ non obtenta Christus
adversarios alia aggreditur viâ parabolis, quarum necitit duas tale vel tan-
dem eliciturus responsum, quod in ipsos retorquere post potuit vs. 29.
uti pridem David 2. Sam. XII. 6. & Propheta 1. Reg. XX. 39. **HO-**
MO quidam. Hoc nomine DEUS ob summam *Φιλαυθροσύνην* sæ-
pe venit Matth. XVIII. 12. 14. uti & Patris Deut. XXXII. 6. Jes. LXIII.
16. LXVI. 8. Malach. II. 10. Matth. XX. 1. habebat duos filios
quorum primus typus verè pœnitentium, alter figura hypocritarum fuit
& accedens ad primum conf. Matth. XX. 2. dixit ei: vade hodie
conf. Gen. XII. 1. operare in vinea mea. Mich. VI. 8. Luc. X. 28.

XXIX.

Ille autem respondens ait: Nolo Tantus est hominis post
lapsum renixus Jer. XLIV. 16. 17. Matth. XI. 17. XXII. 3. 4. XXIII.
37. Luc. VII. 30. XIX. 14. Act. VII. 51. postea verò pœniten-
tia ductus abiit, de nullo est peccatore desperandum sed Janua gra-
tiæ patet omnibus nec est qui ad frugem redire nequeat. Matth. IX. 13.
Luc. XXIII. 43. Ezech. XVIII. 33. 1. Tim. I. 15. II. 4.

XXX.

Accedens autem ad alterum dixit similiter conf. Matth.
XX. 7. at ille respondens ait: eo, verba Hypocritarum semper
sunt bona in speciem, Psalm. LXXVIII. vers. 10. Jes. XXIX. vers. 13.
Rom. II. 23. Domine hunc titulum frater natu major omiserat vs.
29. sed familiaris is est hypocritis Matth. VII. 21. & non ivit factis
potius quam modo verbis Domini impletur voluntas Ezech. XXXIII.
vers. 30. 31. 32.

B

XXXI.

XXXI.

Quis ex duobus fecit voluntatem Domini? non amplius dicunt: nescimus, ut vers. 27. sed respondent ei: Primus, cujus si non verba tamen facta Patris voluntati responderunt, dicit illis JESUS: Amen dico vobis, quod publicani & meretrices, non qua notorii & publicè infames peccatores, sic enim damnantur Matth. III. 7. XXIII. 13. Eph. V. 5. sed in ampliacione conf. Matth. XI. 5. qui fuerunt tales sed respuerunt vs. 32. 1. Cor. VI. 11. ut Matthæus: Matthæi IX. 9. & illa Luc. VII. 37. ut ita ex hoc loco lupanaria oppugnentur felicius quàm defendantur vid. Bald. C. C. p. 890. præcedent, non ac si & impii sacerdotes essent in vitam æternam secuturi, uti Libertinis visum, sed prælatio vim & negandi habet Matth. V. 20. Luc. XVIII. 14. Joh. III. 19. 1. Cor. VII. 9. Et sic præfertur Peccatrix Simoni Phariseo Luc. VII. 44. adultera accusatoribus Joh. VIII. 7. Publicanus Phariseo Luc. XVIII. 13. Publicani & peccatores Phariseis Matth. IX. 13. Gentiles Judæis Jes. LXV. 4. Matth. VIII. 11. Act. XIII. 46. Rom. IX. 30. X. 3. conf. Thren. IV. 6. Ezech. XVI. 48. ut taceam primogenitum & illum audire quem nulli alii sequuntur nati. VOS quos *improba* propriæ Justitiæ præsumptio non retardat tantum sed regno DEI plane excludit Matth. IX. 13. Luc. XV. 7. in regnum DEI Primi erunt ultimi, & hi erunt primi, Matth. XX. 16. vid. Triglandius Antapol. p. 350. b.

XXXII.

Venit enim præcipue ad vos Johannes in via Justitiæ. Quoad integritatem non tantum morum sed etiam Doctrinæ fide dignæ, conf. Prov. XVI. vs. 31. Marc. VI. vs. 20. & non credidistis ei, quod agenda sit pœnitentia & quod Messias prope sit &c. sed potius ipsum sprevistis Matth. XI. 17. Luc. VII. 30. publicani & meretrices in ampliacione, quæ Scripturæ familiaris Matth. X. 3. XI. 5. XXVI. 6. Rom. IV. 5. Jacob. II. 25. Apoc. II. 19. crediderunt ei, Prov. XXVI. Matth. III. v. 5. 6. XIV. 2. Socino quidem credidisse. h. l. idem est ac *paruisse* Lib. IV. cap. 11. de Servat T. II. f. m. 235

Ar.

At quæ connexa sunt seve invicem insequuntur, non statim & idem sunt. ⁴
 Qui rectè pugnat, coronatur, nec tamen pugna formaliter est corona, ⁴
 sic & qui credit, obedit, nec tamen *fides* formaliter *obedientia* est ⁴
 vid. Thumm photin. pag. 400. VOS autem videntes illa omnia,
 falso ignorantiam simulatis vs. 27. nec pœnitentiam *μετάνοια*
 s. contritionem habuistis. pœnitentiæ usque & usque locus est, Ezech.
 XVIII. 21. XXXIII. 11. Matth. VII. 19. 22. 23. Luc. XV. 12. Joh.
 VI. 37. VIII. 11. I. Ten. I. 15. ut crederetis ei. Nihilominus
 Musæus d. Conv. p. 40. putat cum nomine totum significante sæpe con-
 jungi & partis nomen præstantioris, quamvis implicite in illo contentæ
 Conf. M. 7. XVI. 7. sola *ἀπιστία* finalis nullis exemplis doctrinæ argu-
 mentisq; nullis expugnabilis formaliter damnat.

XXXIII.

Aliam parabolam ejusdem prope argumenti cum præcedente
 audite vos proceres una cum plebe Luc. XX. 9. Homo erat Pa-
 ter Familias Deus Pater Joh. XV. 1. vid. not. 48. qui plantavit,
 uti Noa Gen. IX. 20. vineam in terra S. i. e. Ecclesiam Psalm.
 LXXX. 9. Jes. V. 1. Jer. II. 21. & sepem circumdedit ei
 Psalm. LXXX. 13. Jes. V. 25. Ambrosius in Luc. XX. intelligit mo-
 numenta, queis pronœa Divina Ecclesiam circumvallavit. Conf. Deut.
 IX. 1. Psalm. LXXXIX. v. 41. CXLVII. 13. Autor op, imperf. legem
 confer. Eph. II. 14. & fodit in ea torcular Jes. V. v. 2. Origenes
 aram intellexit, in qua pecudum sanguis ceu mustam redundavit, Ger-
 hardus H. E. f. m. 333. b. ad pressorium crucis refert, quod sæpe
 madet sanguine, conf. Jes. II. 26. Apoc. XIV. 19. 20. & ædifica-
 vit turrim s. speculam Ministerii ordinarii Jes. LII. 8. LVI. 10.
 Jer. VI. 17. Ezech. III. 17. XXXIII. 2. Hieronymus intellexit ipsum
 templum in monte Moria, & locavit eam agricolis, Sacerdoti-
 bus, qui nomine operatorum veniunt Matth. IX. 37. X. vs. 10. 2. Tim.
 II. 6. Maldonatus ex voce elocationis, operum merita elicere conatur,
 sed frustra. Non enim in parabolis omnia sunt argumentativa. Dein-
 de alia est merces liberalitatis & gratia, aliud virtutis stipendium,

B 2

alia

alia laboris remuneratio, uti rectè Ambrosius lib. 1. ep. 1. & peregre profectus est, stupendis DEUS miraculis & oraculis suam præsentiam in Israel, fuit contestatus, queis cessantibus post videbatur peregre abiisse. conf. Hof. III. 4.

XXXIV.

Cum autem tempus pacificum, conf. 1. Reg. IV. 25. Gal. VI. 10. fructuum fidei, obedientiæ, precum, &c. Gal. V. vers. 22. appropinquasset, misit, successive vs. 35. 2. Paral. XXXVI. 15. servos suos, i. e. Prophetas qui Servi DEI passim audiunt Ex. XIV. 30. Jos. I. 1. 2. Reg. IX. 7. XVII. XXIV. 2. ad agricolas s. Ministros ordinarios, ut acciperent debitos fructus ejus Joh. XV. vs. 2. & ut ad reddendam eorum rationem vocarent sacerdotes.

XXXV.

Et agricolæ apprehensis servis ejus, Matthæus h. loc. non observat ordinem naturalem, uti quidem Marcus atque Lucas. alium percusserunt, uti Passur Jeremiam Cap. XX. 2. & Sedekias Micham 1. Reg. XXII. 24. adde & Ebr. XI. 36. alium occiderunt, uti Manasses Jesaiam & Amos v. & Neh. IX. 26. Bb. XI. 37. alium verò lapidarunt, uti Zachariam Jojadæ filium 2. Paral. XXIV. vers. 21. & Jeremiam ap. Tertul. Dura est Servorum DEI provincia. 1. Cor. XV. vers. 31.

XXXVI.

Iterum misit alios servos plures prioribus Jer. XLIV. 4. Math. XXIII. v. 34. 37. Gratia DEI longa est nullaque mortaliuna pervicacia superabilis Job. XXXIII. 29. 30. Thren. III. 23. & fecerunt iis similiter, Math. XXIII. vs. 37. Indurati sunt monitoribus asperi & usque crudeliores, ut Pharaon V. Rom. II. 3. 4.

XXXVII.

Novissime autem s. in plenitudine temporis Gal. IV. v. 4. Pater Ebr. I. 1. misit ceu legatum Math. X. 40. XV. 24. Luc. IV. 18. Joh. III. 17. IV. 34. nec legatus semper inferior est, uti nec Rector Senatu à quo mittitur. vid. Dorsch. Theol. Zach. I. p. 148. ad eos *proceres*, præcipuè *Filium suum*.

VIII.

Præmissis servis longè superiorem ac nobiliorem Ebr. III. 6. Adèò DEUS dilexit mundum Joh. III. v. 16. Rom. VIII. 31. dicens: intra se verebuntur *de jure fesi*. uti multa verba actionem notantia pro Jure, æquo ac debito posita invenias Matth. XXVI. v. 52. *gladio peribunt* id est, perire debent, ita & hunc locum exponas *revereri debebunt*. V. Glass. Can. VI. d. verbo p. m. § 56. Equidem Luc. XX. 13. adjectum est *ίσως*, quod tamen h. l. non est *forfan* sed idem ac *æque ac competenter*, conf. Jer. XXXVI. 3. 7. Ezech. XII. 3. **Filium meum** unigenitum, conf. Rom. VIII. 13.

XXXVIII.

Agricolæ autem videntes Filium quanta horum beatitudo Luc. X. 23. 24. dixerunt intra se, spe pleni tot servis impune sublati, sibi fore homicidium & filii impune. Hinc invertunt quasi argumentum: Dixerat Herus: *verebuntur Filium meum*, coloni contradicunt. Hic est hæres Psalm. II. 7. Ebr. I. 2. *E. occidamus eum*. Sciverunt ita Christum esse Filium DEI Joh. III. 2. VII. 28. XV. v. 24. utut multi affectata ignorantia laborant Luc. XXIII. 34. Act. III. 17. 1. Cor. II. v. 8. *venite occidamus eum*, conf. Gen. XXXVII. 20. Jer. XI. 19. Sap. II. 12. Sanguinaria hujusmodi consilia præsertim contra filium DEI agitata videas Joh. VIII 40. 59. XI. 50. 53. 57. Luc. XI. 47. XXII. 2. & habebimus ut Ahab. 1. Reg. XI. 16. **hæreditatem ejus**. Propositum hoc ut crudelissimum, ita quoque stolidissimum erat; Nam *heres scriptus, qui testatorem occidisse comprobatur, Jure hæreditario excluditur* lib. III. ff. quod si qui hæredem tantum vulneravit hæreditate indignus, quantò magis qui occidit? vid. Stryck. de success. ab intestato. p. 1193. & Wissenbach. ad pand. pag. 690.

XXXIX.

Et apprehensum eum in horto Marc. XIV. vers. 46. Joh. XVIII. 12. ejecerunt extra vineam extra Jerusalem Matth. XXVII. 37. Luc. IX. 31. Joh. XIX. 17. Ebr. XIII. 11. 12. 13. & occiderunt *Θεοφύλακτος ἰσχυρὸς* illi Principem pacis Dominum gloriæ ac Autorem vitæ manu impiorum Act. II. 13. III. 15. 1. Cor. II. 3. En & in hoc insigne in Christo & Patientiæ & præscientiæ documentum, in colonis verò summum malitiæ gradum.

B 3

Cum

XL.

Cum ergo venerit Judicaturus Jef. III. v. 14. Dominus vineæ cum exercitu suo v. Matth. XXII. 7. quid faciet Agricolis suis. His Christus sacerdotum exquirat Judicium ut omnes reddat *ἀνομιὰς* Jef. V. 3. 5.

XLI.

Ajunt contra semet ipsos uti David illi Proceres, quæ verba eum Christus repetita in ipsos retorferat, illi refovent Luc. XX. v. 16. Malos male perdet est Paronomasia similis illi: *Mali corvi malum ovum*, & vineam suam locabit aliis agricolis gentibus sc. Matth. VIII. 11. 12. Act. XIII. v. 46. qui reddent de Jure ei fructum temporibus suis Matth. XXI. 43. Gratia DEI nulli certo populo est adstricta, Jer. VII. 12. Rom. XI. 11.

XLII.

Dicit non amplius subobscurè ut hætenus in parabolis sed clarius, nunc quidem ex ore Davidis illis parabolam utramque quàm primum ipsos peti illam audiebant, à se amolitis verbo *Abſit* Luc. XX. 16. JESUS: Nunquam vos scribæ & legis periti, qui vobis clavem scientiæ arrogatis, legistis in scripturis præsertim in Psalmo CXVIII. pueris quoque noto, hisque modo diebus decantato in templo vers. 25. 26. Lapis Christus, qui nomine hoc sæpe venit Jef. XXXVIII. 16. Dan. II. 34. 35. Zach. III. 9. 1. Petr. II. 6. quem reprobaverunt Luc. XXIII. 18. non tam plebei quum architecti i. e. Doctores, nam ædificare est docere Jer. I. 10. Rom. XV. 20. 1. Cor. III. 10. Gal. II. 18. hic factus est in structura Spirituali Ecclesiæ universalis in caput anguli, quod utrumque connectit parietem i. e. Judæos ac gentes in unum committit corpus mysticum Eph. II. 14. 20. A Domino & non humana arte factum est id *ἀνυς*, fæmininum pro neutro, hebræorum more qui neutro carent v. Psalm. XXVII. 4. XLI. 12. Et Slevogt Disp. p. 1429. quod lapis rejiculus in caput confurrexit anguli, & hoc mirabile est in oculis nostris. Adeo mirabilis est DEUS ut ex pessimis elicere calleat optima Ger. L. 20. Rom. VIII. 24.

XLIII.

XLIII.

Ideo ob labruscas scil. tam indigni repudii conf. Jes. V. 2. dico ego mentiri nescius vobis, quod auferetur à vobis ingratis Judæis ac repugnacibus regnum DEI Gratia f. Ecclesia Matth. VIII. 12. XXII. 8. 9. & dabitur genti alii scil. gentilitati Luc. XIV. 21. 24. Act. XIII. 46. Rom. IX. 26. XI. 11. 12. 22. facienti fructus regni ejus quos herus expectat Luc. III. 8. Eph. V. 9. Gratia DEI nulli certo loco est adstricta Jer. VII. 12. nec tamen ullibi cedit nisi petulanter excussa atque pulsa. Quàntò minus Decretum aeternæ reprobationis absolutum est? vid. Hülsen. Breviar. cap. VIII. §. 6. & XIV. §. 6. p. m. 168. & 374.

XLIV.

Et qui proterve ceciderit super lapidem illum i. e. quisquis ad illum qui in se petra salutis, offenderit Jes. VIII. 14. 15. Rom. IX. 26. non lapidi nocebit, sed sibi, nam confringetur Luc. II. 34. 1. Petr. II. 8. ut vas figuli Jer. XIX. 11. conf. & Zach. XII. vers. 3. super quem verò ceciderit in ira per gravia judicia conteret eum funditus. Psalm. II. 9. XVIII. 43. Jes. XXX. 14. Dan. II. v. 44. Ego sum ille lapis in quem quæstio vestra vers. 23. impingit, quid vos ergo aliud manet quàm aeternum exitium.

XLV.

Et cum ita audissent principes sacerdotum & pharisæi parabolas ejus, cognoverunt, vel tandem quod de ipsis Christus diceret nec non eas applicaret. Conscientia si saucia pungatur, protinus persentiscit e. gr. Davidis 2. Sam. XX. 13. Regis Israelitici 1. Reg. XX. 43. Judæ Matth. XXVI. 25.

XLVI.

Et quærentes eum qui venerat quæsitum ipsorum perditas animas tenere. Didactrum Doctorum in mundo est odium ac persecutio Prov. XXVII. 3. Amos V. 10. Joh. XI. 53. timuerunt turbas proceribus suis saniores Joh. VII. 48. 49. Episcopus putat quod DEUS hunc metum altè Pharisæorum animis infixit eoque impediverit
ne

ne violentas Christo manus injicerent, Lib. IV. institit. c. X. f. 378. sed aliunde magis ille procerum timor videtur fuisse ortus, quoniam non pro vulgari homine sed sicut Prophetam eum Christum sc. habuerunt. Timent interdum improbi ad magnam dignitatem ac auctoritatem erecti populum, ejusque metu multa nefanda perpetrare non audent, quæ alioquin perficere maximè cuperent, ut Herodes Matth. XIV. 5. Sacerdotes Luc. XIX. 48. XXII. 2. Principes populi Act. IV. 21. Præfectus cum Ministris Act. V. v. 26. Huc pertinet dictum Chrylostomi: *Sæpe enim, quæ propter DEUM minime fiebant, propter pudorum sunt facta, & quæ DEI causa ut velimus, non adducimur, ea timore hominum suscipimus.* Homil. IV. in epist. ad Philipp. I. Tom. IV. f. m. 941. b.

Clarissimo Domino M. Respondenti,

S. P. D.

P R Æ S E S.

IN vineam Domini nuper extrusus es, operas inibi vicarias præstitum. Ne studiis verò Academicis planè valedixisse videaris, ad pulpita Scholæ nostræ post ferias reverti decrevisti, specimen editurus polemicum. Et ne sic quidem malè. Boni enim Pastoris est, pascere non tantùm scripturæ floribus agnos, sed lupis quoque occurrere. Uti Architecti Hierosolymæ, qui urbem sanctam reædificabant, alterâ manu muros condebant, arma tenebant alterâ, ita Ministro Ecclesiæ non tantùm ea incumbunt, quæ ad ædificationem faciunt, sed & illa non minùs, quæ ad sanctæ fidei inserviunt defensionem, unde omnis quoque scriptura utilis est tum ad doctrinam tum ad blenchum. Fac itaque, ut proficias usque in utroque, & abibis in vas DEI electum Ecclesiæque utile, spem Amplissimi Domini Parentis si non superabis, implebis tamen, denique & Clarissimum Dominum Avunculum in summam adduces expectationem.

VALE! prid Cal. April. An. Clj. 1739.

F I N I S.

Fr. Eder

St. Maria

St. Michael

St. Johannes

St. Peter

St. Paulus

St. Agathe

St. Barbara

St. Ursula

St. Katharina

St. Margareta

St. Verena

St. Walburga

St. Hildegard

St. Gertrud

St. Elisabeth

St. Anna

St. Margareta

St. Barbara

St. Ursula

St. Katharina

St. Verena

St. Walburga

St. Hildegard

St. Gertrud

I, A

